



Codex diplomaticus Brandenburgensis

Sammlung der Urkunden, Chroniken und sonstigen Quellenschriften für
die Geschichte der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

Supplementband und Schluß des ganzen Werkes bis auf die Register

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1865

CXXIV. Bischof Dietrich von Brandenburg ertheilt zum Bau der Berliner
Nicolaikirche einen Ablass, am 7. April 1460.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55834)

CXXIV. Bischof Dietrich von Brandenburg ertheilt zum Bau der Berliner Nicolairche einen
 8611 1000000 10 10 Ablaß, am 7. April 1460.

Theodoricus, dei gracia Episcopus Brandenburgensis, Vniuersis et singulis diuino-
 rum Rectoribus aliisque Christi fidelibus quibuscunque, per ciuitatem et dioecesim nostram vbilibet
 constitutis, ad quos presentes nostre littere peruenierint, in domino sempiternam salutem. Meminentes
 sepe illud ponderosum, eximii Prophetarum verbum, quia pietas Dei est et tibi Domini misericordia,
 quia tu reddis vnicuique iuxta opera sua; Inducimur proinde promcius Christi fideles piis et pater-
 nis exhortari monitis, vt diem Domini magnum et amarum valde misericordie operibus preueniant,
 Scientes iuxta eundem Prophetam, beatum esse hunc qui intelligit, propter egenum et pauperem,
 quoniam in die malo liberabit eum Dominus. Magno itaque ex aduerso freti gaudio, quoniam
 centuplum accipient, et vitam eternam possidebunt, Christi fidelium mentes et confidencias pulsamus,
 ut ex huiusmodi eorum eleemosynis et operibus animas ipsorum in celesti patria reddamus diciore.
 Exclamacionem igitur dilectorum nostrorum in Christo filiorum, Proconsulum, Consulunque nec non
 prouisorum parochialis ecclesie Sancti Nicolai opidi Berlin, nostre Brandenburgensis dioecesis acce-
 pimus ipsam ecclesiam in suis edificiis et structuris ruinofam et defectuosam fore, sic, quod Par-
 rochiani predicti ecclesie, alique Christi fideles, in eadem ad diuina congregati Ecclesia non fuerint
 tuti propter eiusdem Ecclesie casum, propter quod proconsules et consules nec non prouifores pre-
 fati ipsam intendunt destruere nouamque redificare Ecclesiam, pro eius operis consummacione eleo-
 mosyna Christi fidelium summe videtur necessaria, nec non iuuamen et labores eorundem, cum ad
 ipsius Ecclesie proprie non suppetunt facultates. Quare vniuersitatem vestram requirimus, et in do-
 mino nostro Jesu Christo, cuius res agitur, hortamur, (vobis nihilominus in peccatorum remissionem
 iniungentes) vt cum nuncii dicte Ecclesie eleemosyne causa ad vos venerint, iuxta datam a Deo
 vobis gratiam, bonorumque vestrorum facultatem ipsis fraterne eleemosynas non pigre exhibeatis,
 negociumque eorum fideliter promoueat, vt per hec et alia bona opera, que Domino inspirante fe-
 ceritis, possitis ad gaudia eterna peruenire. Nos autem de omnipotentis Dei misericordia, beatorum-
 que Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi suffragiis omnibus vere penitentibus, confessis
 et contritis, qui prefate Ecclesie porrexerint manus adiutricis, aut cum equis et curribus, in appor-
 tando vel deportando ligna, vel lapides et cimentum, per integrum diem non feriatum, festiuus
 autem diebus prandio peracto, famulauerint, quadraginta dies, His vero, qui adminiculum per inte-
 grum diem prestauerint, propriis humeris et manibus laborando, eciam quadraginta, Qui vero per spacium
 quatuor horarum laborauerint, decem dies indulgenciarum de iniunctis sibi penitencis misericorditer
 in Domino relaxamus. Festiuus et dominicis diebus prandio peracto, cum hec res ad pium opus
 vertitur, credimus laborantes non peccare, nam longe melius est, sic Domino Deo famulari, quam in
 taberna ad equales hauitus potare. Presentes post vnum annum minime sunt valiture. Datum
 Berlin in Aula nostra Episcopali, die Lune septima mensis Aprilis, Anno domini M^o. CCCC^o. LX^o,
 nostro sub appenso sigillo.

Register I, 225.